

1072





Kern 241

(1-27)





(25)

DECANVS ORDINIS MEDICI  
D. IO. LVD. FRID. DIETZ,  
QVORVMDAM  
MEDICINAE CANDIDATORVM  
SOLEMNIA INAUGVRALIA  
INDICIT,  
SIMVLQVE  
OBSERVATIONEM ANATOMICAM  
DE CORDE  
PRAEMITTIT.  
GISSAE MDCCLXXXI.



Typis BRAVNIANIS.





DEPARTMENT OF MEDICINE

D. JO. LUD. FRID. DIETZ,

MDCCCXXXIII

MEDICAL CANDIDATE

OF THE UNIVERSITY OF

LEIPZIG

PRESENTED

TO THE FACULTY OF

PHYSICIAN

FOR THE DEGREE

OF DOCTOR

*[Faint, illegible text]*

*[Faint, illegible text]*

*[Faint, illegible text]*





---

**O**bservationes anatomicae, ex Sectionibus Corporum demortuorum collectae, quibus abstrusae Morborum Causae saepius deteguntur, cuilibet, qui veri Medici nomen tuetur, gratissimae esse debent; nec illae tamen prorsus superfluae censendae sunt, quae iam observata ac detecta, veritatesque pathologicas inde deductas denuo confirmant.

Liceat mihi hac occasione observationem talem, breuiter hic proponere.

Ante aliquot annos Cadaver viri vix triginta annorum, ex pago vicino in Theatrum nostrum anatomicum illatum fuit, quod nobis quaedam memoratua digna in Corde conspicua reddidit. Valde tamen doleo, quod, omni etiam data opera, accuratam morbi historiam comperire, hicque praemittere haud poterim; id solummodo adiiciens, quod ex vaga illorum relatione, qui Cadaver transtulerunt, audiui, hominem nempe istum, pridie aduenam, noctu ex improviso mortuum inuentum fuisse. Illa ergo, quae in Cadavere observavi, hic modo enumerabo.

Thorace aperto, pulmones insigni magnitudine gaudentes visui nostro sese offerebant. Ad Costas annexi erant. Dexter sanus nullum vitium in se ostendebat,





sinister autem incisus saniosum ichorem effundebat. Glandulae bronchiales crassae tumidaeque apparebant. In pericardio aqua collecta reperiebatur. Cor magnum erat, in ventriculis atro atque grumoso sanguine repletum. Ventriculus anterior ac posterior, naturalem amplitudinem, sua dimensione excedebant. Auricula sinistra longitudine consueta maiori, latitudine illi dextrae parum cedente instructa fuit. Valvulae inter auriculam dextram & Ventriculum anteriorem Tricuspidales naturali structura gaudebant; in valvulis semilunaribus arteriae pulmonalis nihil a naturali norma recedentis obseruabatur. Valvularum autem semilunarium arteriae aortae crassitudo, consuetam longe superabat. Vna earumdem osseam quoque naturam induerat. Annulus valvulosus sinister sic dictas valvulas mitrales formans maximam attentionem excitabat. A dextra enim eius parte, substantia ossea spongiosa, inter eius duplicaturam ad medium vsque sinistram sinum decurrebat, ibique in duos quasi ramos diuidebatur. Sinistra eius pars quidem maxima ex parte membranosa erat, quaedam tamen fragmenta ossea facile distinguenda in illa quoque obtua erant. Fibrae Cordis & lacerti eius longe maiori crassitudine illa naturali praediti reperiebantur. Ventre discisso, limpida hinc inde stagnans aqua occurrebat. Omentum atque intestinum Colon contracta erant. Tenuia intestina rubebant nonnihil. Reliqua viscera rite constituta erant. In Cerebro ventriculi eius anteriores sero repleti, plexusque





xusque chorioidei pallidi erant; istud autem in genere solito compactius ideoque dissectioni ac demonstrationi magis idoneum reperiatur.

Pons etiam Varolii insigni magnitudine eminebat.


Ex istis, quae modo annotavi causa subitaneae mortis, non adeo difficilis intellectu erit.

Sed iam, his praemissis ad id me conuerto, cuius gratia pauca haec praefatus sum. Solemnia enim inauguralia, quatuor Medicinae Candidatorum indicanda sunt. Vt autem melius vitae eorum hactenus actae, studiorumque ratio elucescat, ista verba, quibus illam Facultati nostrae commnnicarunt, hic apponam.

Ego I. D. LINDENBERG Rigae d. XXII. Decemb. A. MDCDLIII. natus sum. Pater mihi D. LINDENBERG Chirurgus, mater ex stirpe STEHLINGIANA, est. In tenera mea aetate, vt religionis & linguarum principia caperem, Praeceptoribus & dein illustri ibi florenti Gymnasio traditus sum. Postquam omnes, vt diuidunt, quinque classes absolui, Berolinum profectus sum, ibique apud D. GLEDITSCH Botanicam & materiam medicam, apud D. WALTER Physicam, Physiologiam & Osteologiam audiui. Post ea vniuersitatem Goettingensem petii, & in album ciuium academicorum a D. PÜTTER t. t. rectore magnifico inscriptus sum. Hic praelectionibus Cl. D. ERXLEBÈN in Physicam & Chemicam, Cl. D. WRIESBERG in Physiologiam & Anatomiam, Cl. D. BALDINGER in Materiam medicam & Pathologiam, Cl. D. RICHTER in Chirurgiam medicam & manualementem, Capitulum







pitis vulnera, Diabeticam, Oculorum morbos interfui. Ex hac vniuersitate Argentoratum adii, & a D. REISEISEN fauces academicos t. t. tenente in numerum ciuium academicorum relatus sum. Hic praelectiones Cl. D. LOBSTEIN in Chirurgiam & Physiologiam Cl. D. SPIELMANN in Materiam medicam, Chemiam, Pathologiam, & Botanicam frequentauit. Manuductione Cel. LOBSTEIN musculos, viscera & vasa praeparauit. Per duas quoque hiemes operationes chirurgicas in cadaueribus instituit. Per biennium praecunte Cl. D. OSTERTAG arti obstetriciae tam theoreticae quam practicae incubui. Collegium practicum, Cl. D. PEEFFINGER mihi tradidit. His peractis almam hanc Ludouicianam adii, & a Vobis, Viri Exc. & Exp. vt ad consueta examina me admittatis, mihiq; summos in medicina honores conferatis ea, qua par est, obseruantia peto.

Annuit Facultas, ita, vt finitis Examinibus, defensione publice Disputatione de Partu laborioso, d. XI. April a me Doctor creatus fuerit.

Ego GEORGIUS THOM natus sum Gießae, Anno MDCCLVII. die octauo Aprilis. Parentibus IACOBO THOM, Sereniss. Landgrauii Hassiae a consiliis, & matre AMALIA PHILIPPINA, e gente HERTIANA, quos diuina gratia superstites adhuc veneror. Tam a praeceptoribus domesticis instructus, quam e gymnasio, quod Weilburgi floret, per quinquennium a viris egregie doctis, & longe celeberrimis, Dnis OSTERTAGIO, KOESTERO, SCHELLENBERGIO, GREIFFENBERGIO, aliisque meritis bonarum artium magistris, ad altiora instructus, Anno MDCCLXXV. hanc Ludouicianam adii, iam absens anno MDCCLXXIV. a viro Magnifico & Excellentissimo Dno Dre BAVMERO, fauces academicos t. t. tenente, inter ciues academicos acceptus. Hic praecunte Viro Illustri  
&







& Celeberrimo BOEHMIO, P. P. O. & Consil. intim. in disciplinis, mathematicis, & algebraicis, vltiores profectus feci. Ex Viro Illustri Doctissimoque HOEPPFNERO tunc P. P. O. nunc in supremo tribunali appellationum, quod Darmstadii floret, Consiliario, affini meo honoratissimo, ius naturae & gentium, antiquitatesque romanas percepi. Historiam politicam statuum Europaeorum, Vir Excellentissimus atque Doctissimus Dnus KOESTER P. P. O. me fidelissime docuit. In disciplinis pathologicis, therapeuticis, medicina forensi, geographia subterranea, & hydrographia, Excellentissimum atque Experientissimum Virum, Dnum Drem BAVMERVM P. P. O. & a consil. metall. rer. antecessorem accuratissimum laudo. E praelectionibus Excellentissimi atque Doctissimi Dni Dris CARTHEVSEI, tunc P. P. O. nunc Sereniss. Nassouie Principi a consil. cameral. intim. in physicam dogmatico-experimentalem, botanicam, philosophico-medecam, & oeconomicam, mineralogiam, historiam naturalem, diaeticam, pharmaciam, & materiam medicam, maximos fructus hausi. Virum Excellentissimum atque Celeberrimum NEBELIVM, P. P. O. & Consil. aul. affinem meum longe aestumatissimum, ex commentationibus suis doctissimis tam theoreticis, quam practicis, in Chirurgiam, artem obstetricandi, & fascias chirurgicas rite applicandi, materiamque medicam, praeceptorem veneror. Apud Excellentissimum atque Doctissimum Dnum Drem DIETZ, P. P. O. & a Consil. aul. Anatomiam, Physiologiam, & Pathologiam maximo emolumento audiui, & eius ductu, dissectionibus cadauerum in theatro anatomico publice institutis, ipse manus imposui. Anno MDCCLXXIX. Berolinum delatus ad studia vltius prosequenda, ab Excellentissimo atque Doctissimo Dno Dre FRITZE P. P. O. & t. t. Decano, in numerum Cinium collegii Regii medico-chirurgici adscriptus sum. Vir Excellentissimus atque Experientissimus, Dnus Dr. GLEDITSCH P. P. O. & Con-







Confl. aul. formulas medicas rite concinnandi, viam & rationem dexterrime mihi monstravit, eiusdemque praelectionibus in botanicam publice habitis sedulo interfui. Prae-  
euntibus viris Excellentissimis atque longe Celeberrimis, Dno Dre WALTERO, P.P.O. & Dno Dre FALKENBERGIO, P.P.O. dissectiones cadauerum in theatro anatomico florentissimo institui, praelectiones eorum anatomicas, tam publice, quam priuatim habitas, maximo cum fructu frequentavi. Praeterea laudati Dni WALTERI Commentationibus in Physiologiam & artem obstetricandi splendidissimis interfui. Excellentissimus atque Doctissimus Dnus VOITVS P. P. O. Chirurgiam theoreticam & operationes chirurgicas tam publice quam priuatim, summo candore me docuit, & in Nosocomio, *Charité* dicto, eius operationibus in viuis institutis, & clinico ab Excellentissimo atque Doctissimo Dno Dre SELLE habito, sedulo interfui. Denique apud Excellentissimum & Doctissimum Dnum Drem GOENNERVM studium pathologico-therapeuticum & chirurgicum, maximo emolumento continuavi. Nunc redux, ad Vos Viri Excellentissimi, Meritissimi, Fautores atque Praeceptores ad dies vitae colendi, vertor, Vobis pro tot tantisque in me collatis beneficiis, maximas, quas possum gratias ago, & vt ad examina consueta admittar, ea, qua par est, obseruantia oro rogoque.


Abunde in examinibus, cum eius peritiae in arte medica, periculum faceremus, nobis satisfecit. Dissertationem etiam inauguralem, de Conceptione Ouaria d. XVII. Maii cum laude defendit, eodemque die ipsi summi in Medicina honores collati fuere.

Ego FRIDERICVS CHRISTIANVS MEZ, Ifenburgo - Himbarchensis, natus sum, die secundo mensis Februarii, anni mil-

le.







Iesimi septingentesimi quinquagesimi quarti. Parentes veneror IACOBVM MEZ mercatorem & IOHANNAM e gente DEGIA, quos Deus ter optimus maximus ad hunc diem vsque saluos & incolumes seruauit. His a primis aetatis annis curae cordique fuit, vt in omnibus, quibus aetas puerilis erudiri solet, literis imbuerer. Religionis & linguarum rudimentis imbutus sum a magistris domesticis, aliisque quorum nomen nunquam non grata me subibit recordatio. Postea Neowiedam adii, ibique in officina pharmaceutica, cognati mei exoptatissimi Domini STADLER per decem annos, scientiis, pharmaceuticis & chemicis operam dedi. Tandem arti salutaris cognoscendae tradere me decreui & almam hanc Ludouicianam anno milleesimo septingentesimo octogesimo adii, cuiusque academicis a viro summe reuerendo Domino BECHT HOLD fasces academiae tunc temporis tenente adscriptus sum. Praelectionibus pathologico-therapeuticis Illustri atque Experientissimi Domini BAVMER, medicinae Professoris primarii cum fructu interfui. Virum Excellentissimum Experientissimumque Dominum NEBEL, praeceptorem habui in chirurgia & arte obstetricia. Scholas anatomicas, physiologicas & pathologicas Celeberrimi DIEZ, non sine fructu frequentauit. Duce & Praeceptore Celeberrimo MÜLLER scientiis physicis, botanicis, chemicis, materiae medicae, historiae medicinae literariae & therapiae speciali operam dedi. Vobis igitur, Viri Experientissimi, Patroni & Praeceptores, multis nominibus mihi aeternum colendi! pro tot tantisque in me collatis beneficiis, maximas quas possum gratias refero, atque a Vobis ea, qua par est, obseruantia enixe peto, vt ad examina consueta admittar, quo iis exantlatis, dissertationem inauguralem prelo subiicere, eamque publice defendere, atque ab Illustri Senatu academico Doctoris medici gradum petere liceat.

B

In







In Examinibus profectus ingenii haud contemnendos nobis probavit. Grauibus autem negotiis impeditus, quo minus prae-fens dissertationem inauguralem de Oleis in genere, & specia-tim de Emyreumaticis conscriptam in Cathedra publice defendat, in absentia d. XXI. Decembr. honores, quos meret, Medicos, accipiet.

Ego IOANHES ANDREAS VOGLER Darmstadii die vndecima ca-lendarum Nouembris Anno reparatae Salutis millesimo se-ptingentesimo quinquagesimo quarto primam lucem adspexi. Patrem optimum nactus sum IOANNEM ARNOLDVM VOGLER ciuem atque Thaliarchum Hasso-Darmstadinum, qui iam die vigesima octava Februarii Anni millesimi septingentesimi se-ptuagesimi secundi ad meliorem vitam abiit; matrem vero ad-bnc veneror ANNAM MARIAM gente WÜRZIANA oriun-dam. Optimis his parentibus nihil magis curae cordique fuit, quam vt non religionis Christianae solum praeceptis, sed & litterarum elementis mature satis imbuerer. Littera-rum humaniorumque fundamenta in Gymnasio, quod Darm-stadii floret, ieci. Hisce absolutis maximo quidem erga stu-dium medicum affectu ferebar; per alia tamen impeditus ad artem pharmaceuticam me applicui, iacto in officina aulica Darmstadii tyrocinio. Postis tyrocinii fundamentis, mune-re Prouisoris in celebri Pharmacopolio Nebeliano, quod in hac vrbe inter alia frequentissimum est, per sex annos fun-ctus, insimul collegia medica, quantum mihi licuit, frequen-taui; cum iam Anno millesimo septingentesimo septuagesimo septimo ciuium academicorum numero, fasces tum tenente Perillustri HOEPFNERO supremi modo Appellationum Tribu-nalis Hasso-Darmstadini Consiliario, adseriberer. Totum me artis salutaris studio demum Anno millesimo septingentesimo septuagesimo nono dedi, atque praeter collegia Logicae, Me-ta-







taphysicae & Matheſeos tam purae quam adplicatae, in quibus Perilluſtris BOEHMIVS ſolidiſſima me praecepta docuit, ſcholas medicas adii, atque ex Viro Celeberrimo atque Experimentiſſimo Dno IOANNE WILHELMO BAYMERO Med. Doctore ac P. P. O. ſereniſſimique Principis a Conſiliis rerum metallicarum quam ſolidiſſime hauſi Pathologiam & Therapiam ſpecialem, Medicinam forenſem, Mineralogiam, nec non experimentis chemico - docimaſticis in Laboratorio proprio inſtitutis maximo cum profectu interfui. Chemiam & Phyſicam experimentalem, Materiam medicam, Methodum formulas concipiendi, Diaeticam, Historiam nat. trium regnorum Zoologiam, Botanicam & Mineralogiam Vir Experimentiſſimus Dnus FR. AVG. CARTHEVſERVſ me magno cum fructu docuit. Ex ore ſolidiſſimi Celeberrimi atque Experimentiſſimi Viri CHRISTIANI LVDOVICI NEBELII Medicinae Dris & P. P. O. ſereniſſimi principis Conſiliarii aulici Chirurgiam duce Plattnero & artem obſtetricandi duce Steinio maximo meo commodo addidici. Praeceptorem porro veneror Experimentiſſimum atque Celeberrimum Virum ac Dnum DIETZIVM Medicinae Dr atque P. P. O. ſereniſſimi Principis conſiliarium aulicum, quo duce in Anatomia, ſectionibus & demonſtrationibus cadauerum anatomicis, Phyſiologia ad ſilum Halleri, Pathologia ſilum praebente Ludwigio, & Medicina veterinaria maximos progreſſus feci. In Phyſica experimentali, Mineralogia & Historia med. litteraria, Celeberr. ac Experimentiſſ. MÜLLERVſ Med. Dr & P. P. O. inſtitutiones ſumme proficuas mihi praebuit. In ſchola quoque Osteologica praeceptorem habui Virum Clariff. Dnum Drem BAYMERVM iun. P. P. extr. Vobis, Patronis, Fautoribus ac Praeceptoribus ad cineres vsque venerandis, pro tot tantisque in me collatis beneficiis publice obſtrictiſſimam profiteor mentem, huncque veſtrum erga me fauorem ac benevolentiam per totam meam vitam gratiſſimo ſemper agnoſcam animo. Et







eum absoluto studiorum cursu meam in arte salutari comparatam notitiam ad publicum conuertere commodum constitui, ad examina solita & quaeuis alia, quibus medicinam faciendi facultas legitime impetranda est, vt me admittere velitis, ea, qua decet obseruantia, peto.

Admissus ad examina dignus indicatus fuit, cuius petito annuatur. Fixus ipsi est dies XXI. Dec. quo publice in cathedram ascendat defensusus dissertationem de Polypodio montano. Vos itaque, MAGNIFICE DOMINE RECTOR, MAGNIFICE DOMINE PROCANCELLARIE, PROFESSORES OMNIUM ORDINUM CELEBRERIMI, GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI CIVES, vt vestra honorifica praesentia actum hunc disputatorium condecorare haud dedignemini ea, qua par est, obseruantia oro rogoque.

Dab. in Academia Ludouiciana d. XX. Decemb.

MDCCLXXXI.





KD 7P

PICA









(25)

DECANVS ORDINIS MEDICI

D. IO. LVD. FRID. DIETZ,

Q V O

MEDICINAE

SOLEMNIA

I


S I M

OBSERVATIO

D E

PRA

GISSAE



Typis

